


22nd Sydney Latin Summer School



University of Sydney, January 18-22, 2016

Level 4 iv

Instructor: Frances Muecke

In this course we shall look at two of the crushing defeats inflicted by Hannibal on the Romans during the second Punic war: Trasumene (217 BC) and Cannae (216 BC). There is a lot to be found out about them on the internet and in popular books (e.g. Gregory Daly, *Cannae: The Experience of Battle in the Second Punic War*, 2005 – he calls Cannae ‘the most studied battle in history’). In a week we can read only a very small portion of what Livy and Silius wrote about the two battles. To get the full story in Livy 22 you could go to John Yardley’s translation with notes by Dexter Hoyos (Oxford World’s Classics). Silius Italicus is not well served yet with English translations and commentaries but there is the Loeb. The books to look at are 5 and 8-10 (Cannae is a real epic war).

Programme

Monday and Tuesday

Trasumene: Livy 22.4-6, Silius 5.627-78

Wednesday to Friday

Cannae: Livy 22.49-51, Silius 9.340-53, 10.260-92, 305-11, 326-36

Recommended Reading

Livy

Up-to-date surveys of Livy: *Blackwell’s Companion to Livy* (2015), *Oxford Readings in Classical Studies: Livy*, ed. Jane D. Chaplin, Christina S. Kraus (Oxford, 2009).

Help with the text:

Dexter Hoyos, *A Roman Army Reader: Twenty-One Selections from Literary, Epigraphic, and Other Documents* (2013) contains most of the Trasumene passage with commentary and vocab.

Similarly for some of the Cannae passage see Mary Jaeger, *A Livy Reader* (2011).

There is an old Livy XXII commentary ed. by John Pyper (Oxford, 1919) and another by John Thompson and F. G. Plaistowe (reprinted Bristol Classical Press 1991) – a real crib!

Silius

For general background there are some useful chapters in A. Agoustakis, *Brill’s Companion to Silius Italicus* (2010).

There is also a very broad approach to Silius’ Cannae in William J. Dominik, ‘Rome Then and Now: Linking Together the Saguntum and Cannae Episodes in Silius Italicus’ Punica’, in H.-J. van Dam, R. Nauta and H. Smolenaars (eds), *Flavian Poetry* (Leiden/Boston: E. J. Brill 2006) 113–127.

1. Livy 22

[4] Hannibal quod agri est inter Cortonam urbem Trasumennumque lacum omni clade belli peruastat, quo magis iram hosti ad uindicandas sociorum iniurias acuat; et iam peruenerant ad loca nata insidiis, ubi maxime montes Cortonenses in Trasumennum sidunt. Via tantum interest perangusta, uelut ad <id> ipsum de industria relicto spatio; deinde paulo latior patescit campus; inde colles adsurgunt. Ibi castra in aperto locat, ubi ipse cum Afris modo Hispanisque consideret; Baliares ceteramque leuem armaturam post montes circumducit; equites ad ipsas fauces saltus tumulis apte tegentibus locat, ut, ubi intrassent Romani, obiecto equitatu clausa omnia lacu ac montibus essent.

Flaminius cum pridie solis occasu ad lacum peruenisset, inexplorato postero die uixdum satis certa luce angustiis superatis, postquam in patientiorem campum pandi agmen coepit, id tantum hostium quod ex aduerso erat conspexit: ab tergo ac super caput deceptae insidiae. Poenus ubi, id quod petierat, clausum lacu ac montibus et circumfusum suis copiis habuit hostem, signum omnibus dat simul inuadendi. Qui ubi, qua cuique proximum fuit, decucurrerunt, eo magis Romanis subita atque improuisa res fuit, quod orta ex lacu nebula campo quam montibus densior sederat agminaque hostium ex pluribus collibus ipsa inter se satis conspecta eoque magis pariter decucurrerant. Romanus clamore prius undique orto quam satis cerneret se circumuentum esse sensit, et ante in frontem lateraque pugnari coeptum est quam satis instrueretur acies aut expediri arma stringique gladii possent.

[5] Consul percussis omnibus ipse satis ut in re trepida impavidus, turbatos ordines, uertente se quoque ad dissonos clamores, instruit ut tempus locusque patitur, et quacumque adire audirique potest, adhortatur ac stare ac pugnare iubet: nec enim inde uotis aut imploratione deum sed ui ac uirtute euadendum esse; per medias acies ferro uiam fieri et quo timoris minus sit, eo minus ferme periculi esse. Ceterum prae strepitu ac tumultu nec consilium nec imperium accipi poterat, tantumque aberat ut sua signa atque ordines et locum noscerent, ut uix ad arma capienda aptandaque pugnae competeret animus, opprimerenturque quidam onerati magis iis quam tecti. Et erat in tanta caligine maior usus aurium quam oculorum. Ad gemitus uolnerum ictusque corporum aut armorum et mixtos strepentium pauentiumque clamores circumferebant ora oculosque. Alii fugientes pugnantium globo inlati haerebant; alios

redeuntes in pugnam auertebat fugientium agmen. Deinde, ubi in omnes partes nequiquam impetus capti et ab lateribus montes ac lacus, a fronte et ab tergo hostium acies claudebat apparuitque nullam nisi in dextera ferroque salutis spem esse, tum sibi quisque dux adhortatorque factus ad rem gerendam, et noua de integro exorta pugna est, non illa ordinata per principes hastatosque ac triarios nec ut pro signis antesignani, post signa alia pugnaret acies nec ut in sua legione miles aut cohorte aut manipulo esset; fors conglobat et animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat tantusque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae qui multarum urbium Italiae magnas partes prostrauit auertitque cursu rapidos amnes, mare fluminibus inuexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.

[6] Tres ferme horas pugnatum est et ubique atrociter; circa consulem tamen acrior infestiorque pugna est. Eum et robora uirorum sequebantur et ipse, quacumque in parte premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem, insignemque armis et hostes summa ui petebant et tuebantur ciues, donec Insuber eques—Ducario nomen erat—facie quoque noscicans consulem, ‘<En>’ inquit ‘hic est’ popularibus suis, ‘qui legiones nostras cecidit agrosque et urbem est depopulatus; iam ego hanc uictimam manibus peremptorum foede ciuium dabo’. Subditisque calcaribus equo per confertissimam hostium turbam impetum facit obtruncatoque prius armigero, qui se infesto uenienti obuiam obiecerat, consulem lancea transfixit; spoliare cupientem triarii obiectis scutis arcuere. Magnae partis fuga inde primum coepit; et iam nec lacus nec montes pauori obstabant; per omnia arta praeruptaque uelut caeci euadunt, armaque et uiri super alium alii praecipitantur. Pars magna, ubi locus fugae deest, per prima uada paludis in aquam progressi, quoad capitibus [umeris] exstare possunt, sese immergunt; fuere quos inconsultus pauor nando etiam capessere fugam impulerit; quae ubi immensa ac sine spe erat, aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus aut nequiquam fessi uada retro aegerrime repetebant atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur. Sex milia ferme primi agminis per aduersos hostes eruptione impigre facta, ignari omnium quae post se agerentur, ex saltu euasere et, cum in tumulo quodam constitissent, clamorem modo ac sonum armorum audientes, quae fortuna pugnae esset neque scire nec perspicere prae caligine poterant. Inclinata denique re, cum incalescente sole dispulsa nebula aperuisset diem, tum liquida iam luce montes campique perditas res stratamque ostendere foede Romanam aciem. Itaque ne in conspectos procul immitteretur eques, sublatis raptim signis quam

citatissimo poterant agmine sese abriperunt. Postero die cum super cetera extrema fames etiam instaret, fidem dante Maharbale, qui cum omnibus equestribus copiis nocte consecutus erat, si arma tradidissent, abire cum singulis uestimentis passurum, sese dederunt; quae Punica religione seruata fides ab Hannibale est atque in uincula omnes coniecti.

The next section is worth reading too but we probably won't get to it in class!

[7] Haec est nobilis ad Trasumenum pugna atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim milia Romanorum in acie caesa sunt; decem milia sparsa fuga per omnem Etruriam auersis itineribus urbem petiere; duo milia quingenti hostium in acie, multi postea [utrimque] ex uolneribus periire. Multiplex caedes utrimque facta traditur ab aliis; ego praeterquam quod nihil auctum ex uano uelim, quo nimis inclinant ferme scribentium animi, Fabium, aequalem temporibus huiusce belli, potissimum auctorem habui. Hannibal captiuorum qui Latini nominis essent sine pretio dimissis, Romanis in uincula datis, segregata ex hostium coaceruatorum cumulis corpora suorum cum sepeliri iussisset, Flamini quoque corpus funeris causa magna cum cura inquisitum non inuenit. Romae ad primum nuntium cladis eius cum ingenti terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus. Matronae uagae per uias, quae repens clades allata quaeue fortuna exercitus esset, obuios percontantur; et cum frequentis contionis modo turba in comitium et curiam uersa magistratus uocaret, tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius praetor 'pugna' inquit 'magna uicti sumus'.

2. Silius 5.627-78

pugnabat tamen (heu belli uecordia!) miles,
iactatus titubante solo, tremebundaque tela,
subducta tellure ruens, torquebat in hostem,
donec pulsa uagos cursus ad litora uertit 630
mentis inops stagnisque inlata est Daunia pubes.
quis consul terga increpitans (nam turbine motae
ablatus terrae inciderat): 'Quid deinde, quid, oro,
restat, io, profugis? uos en ad moenia Romae
ducitis Hannibalem, uos in Tarpeia Tonantis 635
tectae faces ferrumque datis. sta, miles, et acris
disce ex me pugnare, uel si pugnare negatum,

disce mori. dabit exemplum non uile futuris
 Flaminius. ne terga Libys, ne Cantaber umquam
 consulis aspiciat. solus, si tanta libido 640
 est uobis rabiesque fugae, tela omnia solus
 pectore consumo et moriens fugiente per auras
 hac anima uestras reuocabo ad proelia dextras.'

Dumque ea commemorat densosque obit obuius hostis,
 aduolat ora ferus mentemque Ducarius. acri 645
 nomen erat gentile uiro, fuisque cateruis
 Boiorum quondam patriis antiqua gerebat
 uulnera barbaricae mentis, noscensque superbi
 uictoris uultus 'Tunc' inquit 'maximus ille
 Boiorum terror? libet hoc cognoscere telo, 650
 corporis an tanti manet de uulnere sanguis.
 nec uos paeniteat, populares, fortibus umbris
 hoc mactare caput: nostros hic curribus egit
 insistens uictos alta ad Capitolia patres.
 ultrix hora uocat.' pariter tunc undique fuis 655
 obruitur telis, nimboque ruente per auras
 contectus nulli dextra iactare reliquit
 Flaminium cecidisse sua. nec pugna perempto
 ulterior ductore fuit. namque agmine denso 660
 primores iuuenum, laeua ob discrimina Martis
 infensi superis dextrisque et cernere Poenum
 uictorem plus morte rati, super ocus omnes
 membra ducis stratosque artus certamine magno
 telaque corporaque et non fausto Marte cruentas
 iniecere manus. sic densi caedis aceruo 665
 ceu tumulo texere uirum. tum, strage per undas
 per siluas sparsa perque altam sanguine uallem,
 in medias fratre inuectus comitante cateruas
 caesorum iuuenum Poenus 'Quae uulnera cernis,
 quas mortes!' inquit 'premit omnis dextera ferrum, 670
 armatusque iacet seruans certamina miles.

fugiunt. Septem milia hominum in minora castra, decem in maiora, duo ferme in uicum ipsum Cannas perfugerunt, qui extemplo a Carthalone atque equitibus nullo munimento tegente uicum circumuenti sunt. Consul alter, seu forte seu consilio nulli fugientium insertus agmini, cum quinquaginta fere equitibus Venusiam perfugit. Quadraginta quinque milia quingenti pedites, duo milia septingenti equites, et tantadem prope ciuium sociorumque pars, caesi dicuntur; in his ambo consulum quaestores, L. Atilius et L. Furius Bibaculus, et undetriginta tribuni militum, consulares quidam praetoriarum et aedilicium—inter eos Cn. Seruilius Geminus et M. Minucius numerant, qui magister equitum priore anno, <consul> aliquot annis ante fuerat—octoginta praeterea aut senatores aut qui eos magistratus gessissent unde in senatum legi deberent cum sua uoluntate milites in legionibus facti essent. Capta eo proelio tria milia peditum et equites mille et quingenti dicuntur.

[50] Haec est pugna <Cannensis>, Aliensi cladi nobilitate par, ceterum ut illis quae post pugnam accidere leuior, quia ab hoste est cessatum, sic strage exercitus grauior foediorque. Fuga namque ad Alliam sicut urbem prodidit, ita exercitum seruauit: ad Cannas fugientem consulem uix quinquaginta secuti sunt, alterius morientis prope totus exercitus fuit.

Binis in castris cum multitudo semiermis sine ducibus esset, nuntium qui in maioribus erant mittunt, dum proelio, deinde ex laetitia epulis fatigatos quies nocturna hostes premeret ut ad se transirent: uno agmine Canusium abituros esse. eam sententiam alii totam aspernari; cur enim illos, qui se arcessant, ipsos non uenire, cum aequae coniungi possent? Quia uidelicet plena hostium omnia in medio essent, et aliorum quam sua corpora tanto periculo mallent obicere. Aliis non tam sententia displicere quam animus deesse: P. Sempronius Tuditanus tribunus militum ‘capi ergo mauoltis’ inquit, ‘ab auarissimo et crudelissimo hoste aestimarique capita uestra et exquiri pretia ab interrogantibus Romanus ciuis sis an Latinus socius, et ex tua contumelia et miseria alteri honos quaeratur? Non tu, si quidem L. Aemilius consulis, qui se bene mori quam turpiter uiuere maluit, et tot fortissimorum uirorum qui circa eum cumulati iacent ciues estis. Sed antequam opprimat lux maioraque hostium agmina obsaepiunt iter, per hos, qui inordinati atque incompositi obstrepunt portis, erumpamus. Ferro atque audacia uia fit quamuis per confertos hostes. Cuneo quidem hoc laxum atque solutum agmen, ut si nihil obstet, disicias. Itaque ite mecum qui et uosmet ipsos et rem publicam saluam uoltis’. Haec ubi dicta dedit, stringit gladium

cuneoque facto per medios uadit hostes et, cum in latus dextrum quod patebat Numidae iacularentur, translatis in dextrum scutis in maiora castra ad sescenti euaserunt atque inde protinus alio magno agmine adiuncto Canusium incolumes perueniunt. Haec apud uictos magis impetu animorum, quos ingenium suum cuique aut fors dabat, quam ex consilio ipsorum aut imperio cuiusquam agebatur.

[51] Hannibali uictori cum ceteri circumfusi gratularentur suaderentque ut, tanto perfunctus bello, diei quod reliquum esset noctisque insequentis quietem et ipse sibi sumeret et fessis daret militibus, Maharbal praefectus equitum, minime cessandum ratus, ‘immo ut quid hac pugna sit actum scias, die quinto’ inquit, ‘uictor in Capitolio epulaberis. Sequere; cum equite, ut prius uenisse quam uenturum sciant, praecedam.’ Hannibali nimis laeta res est uisa maiorque quam ut eam statim capere animo posset. Itaque uoluntatem se laudare Maharbalis ait; ad consilium pensandum temporis opus esse. Tum Maharbal: ‘Non omnia nimirum eidem di dedere. Vincere scis, Hannibal; uictoria uti nescis.’ mora eius diei satis creditur saluti fuisse urbi atque imperio. Postero die ubi primum inluxit, ad spolia legenda foedamque etiam hostibus spectandam stragem insistunt. Iacebant tot Romanorum milia, pedites passim equitesque, ut quem cuique fors aut pugna iunxerat aut fuga; adsurgentes quidam ex strage media cruenti, quos stricta matutino frigore excitauerant uolnera, ab hoste oppressi sunt; quosdam et iacentes uiuos succisis feminibus poplitibusque inuenerunt nudantes ceruicem iugulumque et reliquum sanguinem iubentes haurire; inuenti quidam sunt mersis in effossam terram capitibus quos sibi ipsos fecisse foueas obruentesque ora superiecta humo interclusisse spiritum apparebat. Praecipue conuertit omnes subtractus Numida mortuo superincubanti Romano uiuus naso auribusque laceratis, cum manibus ad capiendum telum inutilibus, in rabiem ira uersa laniando dentibus hostem exspirasset.

4. Silius 9.340-53, 10.260-92, 305-11, 326-36

a) Speramusne, deae, quarum mihi sacra coluntur, 340
mortali totum hunc aperire in saecula uoce
posse diem? tantumne datis confidere linguae,
ut Cannas uno ore sonem? si gloria uobis
nostra placet neque uos magnis auertitis ausis,
huc omnis cantus Phoebumque uocate parentem. 345

uerum utinam posthac animo, Romane, secunda,
quanto nunc aduersa, feras, si<n>tque hactenus, oro,
nec libeat temptare deis an Troia proles
par bellum tolerare queat. tuque anxia fati
pone, precor, lacrimas et adora uulnera laudes 350
perpetuas paritura tibi. nam tempore, Roma,
nullo maior eris. mox sic labere secundis
ut sola cladum tuearis nomina fama.

b) Ecce, Cydonea uiolatus harundine plantam, 260
Lentulus effusis campum linquebat habenis,
cum uidet in scopulo rorantem saxa cruore
toruoque obtutu labentem in Tartara Paulum.
mens abiit, puduitque fugae. tum uisa cremari
Roma uiro, tunc ad portas iam stare cruentus 265
Hannibal; Aetoli tum primum ante ora fuere
sorbentes Latium campi. 'Quid deinde relictum
crastina cur Tyrios lux non deducat ad urbem,
deseris in tantis puppim si, Paule, procellis?
testor caelicolas,' inquit 'ni damna gubernas 270
crudelis belli uiuisque in turbine tanto
inuitus, plus, Paule, (dolor uerba aspera dictat)
plus Varrone noces. cape, quaeso, hunc, unica rerum
fessarum spe<s>, cornipedem. languentia membra
ipse leuabo umeris et dorso tuta locabo.' 275

Haec inter, lacero manantem ex ore cruorem
eiectans, consul: 'Macte o uirtute paterna!
nec uero spes angustae, cum talia restent
pectora Romuleo regno. calcaribus aufer,
qua uulnus permittit, ecum atque hinc ocus urbis 280
claudantur portae (ruet haec ad moenia pestis)
dic, oro: rerum Fabio tradantur habenae.
nostris pugnavit monitis furor. amplius acta
quid superest uita, nisi caecae ostendere plebi

Paulum scire mori? feror an consumptus in urbem 285
 uulneribus? quantine emptum uelit Hannibal, ut nos
 uertentis terga aspiciat? nec talia Paulo
 pectora, nec manis tam parua intramus imago.
 ille ego—sed uano quid enim te demoror aeger,
 Lentule, conquestu? perge atque hinc cuspidē fessum 290
 erige quadrupedem propere.' tum Lentulus urbem
 magna ferens mandata petit.

c) hic finis Paulo. iacet altum pectus et ingens 305
 dextera, quem, soli si bella agitanda darentur,
 aequares forsan Fabio. mors additur urbi
 pulchra decus misitque uiri inter sidera nomen.
 Postquam spes Italum mentesque in consule lapsae,
 ceu truncus capitis, saeuīs exercitus armis 310
 sternitur, et uictrix toto fremit Africa campo.

d) At Poenus, per longa diem certamina saeuīs
 caedibus emensus, postquam eripuerē furori
 insignem tenebrae lucem, tum denique Martem
 dimisit tandemque suis in caede pepercit.
 sed mens inuigilat curis noctisque quietem 330
 ferre nequit. stimulat dona inter tanta deorum
 optatas nondum portas intrasse Quirini.
 proxima lux placet. hinc strictos ferre ocius enses,
 dum feruet cruor et perfusae caede cohortes,
 destinat ac iam claustra manu, iam moenia flamma 335
 occupat et iungit Tarpeia incendia Cannis.